



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

X. De potestate Clavium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

tia. Ita ut Nonnus alius non sit quam dominus, & viduæ ita dicantur apud Hieronymum, quasi sui dominæ factæ.

XXII. Putat autem Cardinalis Baronius in martyrologio ad d. 5. Augusti, appellativum hoc nomen transivisse in proprium, cum ita dicta fuerit mater Gregorii Nazianzeni, idque etiam apud Latinos factum, dum S. Augustini mater eodem ferè nomine appellata fuerit, licet pro monacha Monica dicta sit; id verò idem esse quod Nonna. Sicque, ait, *duæ amplissimum Ecclesie Doctorum matres eodem dictæ nomine habentur.* Sed vana admodum hæc est collectio, & nominum comparatio. Non enim ideò, quod ita dicatur aliqua mulier, ad ipsam quoque rem illicò concludere licet. Et oppidò falluntur illi, qui Monicam Augustini matrem monialem esse volunt, quos falsè perstringit Claudius Espencæus d. l.

CAP. X.

De Potestate Clavium.

I.

Christus in his terris Regnum suum extructurus tantam dedit potestatem discipulis suis, quantam ei sufficientem iudicavit, & ut ostenderet nobis, quid commodi humano generi afferret ministerium verbi & Sacramentorum à se institutum, geminam adhibuit similitudinem, unam clavium, alteram ligandi & solvendi, sed quæ utraque eandem potestatem exprimit. Sic enim ait *Matth. XVI, 19.* ad Petrum & Apostolos reliquos: *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum in cælis, & quodcumq; solveris super terram, erit solutum in cælis.* De clavibus dum loquitur, cælum domicilium esse statuit, in quod nullus hominibus pateat ingressus, nisi fores referentur. At enim nobis omnibus, qui ab Adamo primo parente descendimus, clausum est cælum, sicut Adamo ipsi Paradisus, propter innumera, quæ hæreditaria habemus, & quotidie ipsi committimus, peccata. Quandoquidem non intrabit in illud inquinatum aliquid, aut abominationem faciens & mendacium. *Apoc. XXI, 27.* Postquam autem DEUS pater filium suum misisset, in mundum, & filius hic vicissim Apostolos suos eodem modo misisset, in Pater ipsum, ad prædicandum scilicet verbum divinum eum in finem, ut iis qui resipiscerent & crederent, peccata remitterentur, non autem remitterentur illis, qui increduli persisterent, & gratiam omnem respuerent, tum auctoritatem concessit quasi aperlendi cælum fidelibus, claudendi vero impiis & contumacibus. Atque hoc claudendi aperiendique munus, quia clavium operâ in ædibus exerceri solet, & œconomus clavem habere

dici-

dicitur, quâ domum aperiat & claudat, ideò Christus ædium suarum dominus ipse, & primarius Dei domûs œconomus dicitur habere clavem Davidis, *Apoc. III, 7.* Et cum is porro alios sub se œconomos habere vellet, quî ita dicuntur *1. Cor. IV, 1.* dedit eis ad sustinendum hoc suum munus claves regni cœlorum, quibus aperire & claudere illud possent.

II. Ad eundem finem spectat altera comparatio, solvendi scilicet, ligandique similitudo. Quia enim naturâ sumus filii iræ & peccatis penitus immerfi, atque hinc morti æternæ obnoxii, peccata autem perinde adstringunt & vinciunt animam, uti funes corpus, & infiniti dolores mortis catenis similes sunt, quibus impii in tartaro veluti in carcere ligantur, hinc adeò, quibus peccata remittuntur, à peccati funibus, æternisque mortis catenis non malè solvi dicuntur; quibusque peccata retinentur, illi ligati permanent. Illi enim soli condemnabuntur, quorum sunt retenta peccata, ut catenis caliginis vinciantur; soli illi servabuntur, quorum peccata remissa sunt, quibusque proinde soluti funes animam pessimè constringentes. Et huc pertinet illud Hieronymi: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur, quos funes & quæ vincula solvere possunt Apostoli imitantes magistrum suum, qui eis dixerat: Quaecumque ligaveritis in terrâ, &c.* Eâdem igitur ratione, quâ Christus dicitur missus fuisse ad proclamandam captivæ libertatem, & vincis aperturam ergastuli, etiam ministri ejus, quibus hoc prædicandum commisit, ligare & solvere, retinere & remittere peccata dicuntur. Atque adeò utrumque loquendi genus idem innuit, quod clavibus significatur. Nam ligare & retinere peccata nihil aliud est, quàm claudere: Idem etiam solvere & remittere, quod aperire regnum cœlorum. Quandoquidem claves regni cœlorum nihil aliud sunt, quàm potestas ligandi & solvendi, remittendi & retinendi peccata. Et Christus cum claves promitteret, illam potestatem dare promisit; & illam potestatem cum daret, claves dedit. Proinde Abulensis in *Matth. XVI, q. 76.* inquirens, quid illud sit, in quo solvitur quis & ligatur per claves, decernit, *claves super peccatum habere usum suum solvendo & ligando.*

III. Hic est genuinus significatus verborum Christi. *Matth. XVI, 19.* quando ait ad Petrum: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Ait: *regni cœlorum,* non regni terrarum, ut innueret, hanc potestatem se non ad temporalia & mundana, sed ad spiritualia tantum extendere. Neque ex isto loco quicquam aliud certò colligi potest, quàm spiritualis potestas, quæ ad Ecclesiæ regimen necessaria est. Sicut enim Ecclesia ipsa ex Christi institutione non temporalis, sed spiritualis est Respublica, ita etiam omnem potestatem spirituali Reip. accommodatam habere debet. Et proinde solvere & solutio non de temporali, sed de spirituali tantum solutione intelligenda sunt. Rectèque colligit Franciscus Suarez celeberrimus Societatis Jesu

Theologus, verba illa, erit ligatum in cælo, satis declarare potestatem hanc non esse naturalem, sed supernaturalem, & ligamen istud esse spirituale, & superioris ordinis. Complectuntur autem claves illæ totam eam functionem atque potestatem, quæ perficiuntur omnia, quæ sunt necessaria ad regnum Christi promovendum & Ecclesiam gubernandam, quæ ministri verbi dignis thesauros Evangelii aperiunt, eosque ad possessionem & usum fructum admittunt, indignis occludunt, eosque procul à Regno DEI arcent.

IV. Hallucinantur igitur illi, qui ex verbis Christi aliam potestatem majoris autoritatis, quam quæ in ligando & solvendo consistit, inferunt. Quin etsi demus, per claves, non illud, quod nos exposuimus, officium, sed aliam quandam potestatem significari, sequitur tamen adhuc, nihil præcipui accepisse Petrum præ reliquis Apostolis, sed eandem datam fuisse reliquis omnibus & eorum successoribus. Christus namque Apostolos omnes interrogaverat, quemnam ipsum esse dicerent. Petrus omnium nomine respondit, & communis fidei confessionem edidit. Quod ergo Christus vicissim ei dicit, ad omnes pertinet. Atque sic Petrus gesfit personam Ecclesiæ. Ita Christi hoc dictum explicat Augustinus tract. 50. ad cap. 12. *Johannis*, apud Gratianum c. quodcumq; 24. q. 1. Verba hæc sunt: *Si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia. Si autem & in Ecclesiâ sit: utique quæ in terrâ ligantur, & in cælo, & quæ solvuntur in terrâ, soluta sunt & in cælo, quia cum excommunicat Ecclesia in terrâ, in cælo ligatur excommunicatus: cum reconciliat Ecclesia, & in cælo solvitur reconciliatus. Si ergo hoc in Ecclesiâ sit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. In eandem sententiam loquitur Origines ad h. l. An soli Petro dantur claves Regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum hoc, tibi dabo claves Regni cælorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta sunt omnibus communia? Pariter & Theophylactus: *Habent potestatem remittendi & ligandi, qui sicut Petrus Episcopatus gratiam consecuti sunt. Quamvis autem Petro soli dictum sit, tibi dabo claves, omnibus tamen & Apostolis concessæ sunt; quando? cum dixit, quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur. Et Hieronymus lib. 1. advers. Jovinianum: Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni cælorum accipiant, & ex equo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.**

V. Potestas igitur ligandi & solvendi omnibus Apostolis fuit communis. Quod enim Petro dictum est, *Matth. XVI. Quodcumque ligaveris in terrâ &c.* hoc idem omnibus dictum est *Matth. XVIII. Quodcumque ligaveritis*

veritis in terrâ, ligatum erit &c. per quos transmissa ad successores potestas univèrsali Ecclesiæ communis est. Et ingenuè proinde Maldonatus in *Matth. XVI.* Video, inquit, omnes autores præter Originem in eâ fuisse sententiâ, eodem sensu Petro atq; aliis Apostolis dictum, quodcumq; ligaveris in terrâ &c. Sed & ipse Origines aliquando communem sententiam secutus est, uti verba ejus supra adducta ostendunt. Optimè Hieronymus: *Habent eandem judicariam potestatem alii Apostoli, quibus post resurrectionem dictum est: accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c. Habet etiam omnis Ecclesia in presbyteris & Episcopis; sed idè Petrus specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod, quicumq; ab unitate fidei & societatis ejus seperaverint se, nec à peccatis solvi, nec cælum ingredi posse.* Potestas igitur ligandi & solvendi toti Sacerdotum nationi Christus in cælum abiturus concessit, atque ad eò pertinet ad *ἀλλήρωμα* discipulorum, ut maximè uni Petro indulta videatur.

VI. Nec quicquam facit, quod in vocabulo clavium singulare aliquod mysterium quærant nonnulli. Uti enim supra dixi, æquè latè patent, habere potestatem ligandi & solvendi, & habere potestatem clavium. Clavium usus ultra peccata se non extendit. Et talis etiam est potestas ligandi & solvendi. Ipsum vocabulum clavis hoc satis exprimit. Translatum enim est istud, uti ex Bona Ventura notat Johannes Altenstaig in *Lexic. Theol.* à corporalibus ad spiritualia. In corporalibus clavis est instrumentum ad removendum aliquod obstaculum. Et quoniam in spiritualibus invenimus obstaculum ingrediendi in regnum cœlestè, necesse est illud removeri: idè ad spiritualia nomen clavis transferimus, vocantes clavem illam virtutem, per quam obstaculum, ut est peccatum, removetur, sive per quam excluditur vel includitur. Clavis ista spiritualis communiter à Doctoribus triplex esse dicitur: *autoritatis*, quæ ad DEUM spectat: *excellentiæ*, quæ ad Christum hominem: & *ministerii*, quæ ad Sacerdotes. Id si verum est, non aliam sibi vindicare potest quisquam inter Episcopos, quàm quæ est ministerii. Sed hæc æqualis est & communis omnibus aliis Sacerdotibus, & cuivis è turbâ Sacerdoti non minus competit, quàm Episcopo summo, cum clavigeri sint omnes ex æquo, nec aliqua inter eos quoad hanc potestatem fit differentia.

VII. Verum est, in Scripturâ S. clavis vocabulum sæpè ad exsortem aliquam & eminentem potestatem designandam adhiberi, non parem tamen semper, neque ejusdem generis. Et proinde explicari claves illæ debent diverso planè modo, pro loco & re, & personâ, de quibus est sermo; quam differentiam qui non attendunt, diversissimas potestates confundere, & ex ministro quandoque dominum facere solent. Vulgaris usus clavium, qui in communi vitâ exercetur, satis declarat diversas illas potestates. Ecce enim, quando civitas Regi aut Principi suo adveniendi, aut civitas vi bel-

licâ occupata Victori claves exhibet, indicium id est in Rege aut Victore, dominii & imperii; in civitate, subjectionis, adeoque quando civitas obsessa per proceres suos obsidenti offert claves, argumentum istud est, velle eam deinceps subjectam esse obsidenti, ejusque jussui obtemperare. Aliquando verò per traditionem clavium nulla inferitur subjectionis, sed translatio tantum dominii rei alicujus, quam transferens sub clavi istâ custoditam habuit. Quâ ratione si venditor apud horrea claves tradiderit, emptor confestim dominium & possessionem mercium in horreis reconditarum adipiscitur *l. 74. ff. de contrab. empt.* Aliquando verò, si citra titulum emptionis, donationis, aliumve similem traditio clavium facta sit, tunc facta præsumitur ad solam custodiam. Et plerumque tum munus aliquod aut ministerium denotatur. Quæstori traduntur claves à Principe aut Republicâ, ut communi ærario aut fisco præsit, & pecuniam publicam bonâ fide tractet & administret. Ita paterfamilias tradit claves Oeconomo, ut is rem familiarem procuret. In utroque hoc exemplo ministerium denotatur in accipiente, nihil omnino, quod *ἀποκρητορίας* inferre possit. Nec profectò parem omnino acceperunt Apostoli eorumque successores Episcopi potestatem, qualem habuit eorum Magister, & habet etiamnum. Habet ille clavem David, *Apoc. III, 7. h. e.* supremum dominium & absolutissimam potestatem, qualem clavem nunquam acceperunt Apostoli & Episcopi. Ita cum in Concilio Carthaginiensi IV. *can. 9.* apud Gratianum *c. ostiarius dist. 23.* legitur, quod ad suggestionem Archidiaconi Episcopus Ostiario tradat claves Ecclesiæ, argumentari inde non licet, quod Episcopus Ostiarium hâc traditione sibi parem faciat.

VIII. Ad eundem modum etiam potestas ligandi diversimodè accipitur, & ex diversis principiis suam habet originem. Alia namque potestas ligandi competit Principi, quam is supremam propter summum quod gerit imperium habet: alia magistratui, quæ ex jurisdictione à Principe acceptâ, aut mero imperio, uti loquuntur Juri, oritur: alia denique Licitori, quam is vi ministerii sustinet. Potestas igitur illa modo major est, modo minor, prout se habent personæ, quibus competit. Nec propterea confundi inter se debent, & frustra adeò erit, qui potestatem Principi competentem licitori tribuere velit. Sic igitur se habet etiam potestas clavium & potestas ligandi in Ecclesiâ. Officium totum est ministeriale, à potestate divinâ dependens, nec ultra spirituales effectûs se extendens. Qui igitur superiorem aliquam potestatem in domo DEI sibi vindicant, hoc agentes, ut non sint ministri, sed Domini Ecclesiæ, injuri sunt cum primis in majestatem Christi, deinde etiam in Ecclesiæ libertatem. Est tamen potestas eorum, quæ verè competit, tantæ nihilominus autoritatis, ut absolutio aut ligatio perinde habeatur, ac si ab ipso Christo facta esset, & qui verè credunt.

dunt, sic verè absolvantur à peccatis in terrâ, ac si ab illis solvantur in cœlo: rursus, qui non credunt, sic verè peccatis suis maneant immersi ac ligati in terrâ, ac si ligentur in cœlo.

IX. Claves enim quas creditas sibi talis minister habet, verè aperiunt, non apertum tantùm significant Regnum cœlorum. Per consequens non annunciat tantùm minister verbi, peccata esse remissa, sed etiam remissionem ipsam per modum causæ ministerialis applicat pœnitentibus, & mediante istâ annunciatione influit in absolutionem pœnitentis. Uti enim qui baptizat & prædicat verbi minister, non regenerationem tantùm indicat vel annunciat, sed revera ut causa ministerialis per verbum & baptismum regenerat: ita qui absolvit, non præco tantùm est remissionis peccatorum, sed organum etiam, per quod DEUS remissionem peccatorum, operatur. Atq; hinc dubium non est, per privatam absolutionem DEUM efficacem esse, & peccata remittere illis, qui vocem Evangelii in absolutione fide apprehendunt. Atque hoc modo absolutio ministri organum est & testimonium divinæ absolutionis, ex quo conscientia firmiter sibi persuadere potest, peccata sibi à DEO verè esse remissa.

X. Hanc verò absolvendi & ligandi potestatem habent omnes Ecclesiæ ministri, quotcunque legitime vocati & ordinati sunt. Quando enim quis ordinatur presbyter, tunc ei claves dantur, & simul potestas iis utendi. Ad quid enim aliâs clavium esset utilitas? Omnibus æquè Apostolis datæ sunt istæ, & ab Apostolis ad omnes Episcopos & presbyteros ex æquò transierunt. Quisque ergo presbyter claves jure divino plenè habet, à DEO & Ecclesiâ sibi simul cum presbyteratu concessas: Et tanta est hæc potestas penes minimum, in vulgi opinione vix triobolarem, presbyterum, quanta in Episcopo quocunque, vel in ipso denique Papâ. Dicitur enim est à Christo cuique ex Apostolis, & consequenter cuique ex presbyteris: *Quorumcumq; remiseritis peccata &c.* Et hæc potestas à Christo ministris Ecclesiæ universaliter & sine exceptione collata argumentum etiam hoc præbet, peccata quæcunque, quorum pœnitet peccatorem, per quemcunque Ecclesiæ pastorem remitti posse, neque jure divino ullius peccati remissionem cuiquam seorsim reservatam esse, si præsertim attendatur & conferatur, quod ipse DEUS dicit *Ezechiel. XVIII, 22. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

XI. Et ex hoc facilè patet, quid de casibus reservatis uti vocantur, sit sentiendum, nempe nullum eos in jure divino habere fundamentum. Origo eorum fluxit ex opinione temerè assumptâ, quod ad hoc, ut valeat & efficax sit absolutio, non sufficiat potestas ordinis & quod minister habeat legitimam vocationem, sed quod requiratur in super potestas jurisdictionis in personam absolvendam. Atque hinc statuunt, nullius momenti esse abso-

absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem, ut maximè ad eam Ecclesiam, in quâ degit absolvendus, sit legitimè vocatus. Hâc opinione semel firmatâ, in auxilium vocarunt alteram, quæ ejusdem est farina, omnem scilicet jurisdictionem, quæ est in Ecclesiâ, tam ordinariam quàm delegatam, manare à Pontifice Romano. Ex his principiis Pontifices primùm à potestate jurisdictionis, quam concesserunt Episcopis, casus aliquos exceperunt, sibique reseruos voluerunt, & ad eundem modum etiam Episcopis, ut sibi reseruent nonnullos, permisérunt, quos involare sacerdotibus inferioribus, etiam potestate jurisdictionis pollentibus, haudquaquam fas esset. Nec defuit occasio, quâ hanc suam *προποχὴν* sine strepitu obtinere facilè poterunt. Cum enim in veteri Ecclesia de enormibus flagitiis, quibus censura excommunicationis deberi videbatur, ratio ad Episcopos fieret, ut ex ipsorum consilio eò tutior proferretur sententia, & hoc ordinis atque disciplinæ gratiâ ita invaluisset, Pontifices & Episcopi casus inde reseruos fabricarunt, & ex consuetudine regulas fecerunt, ut non liceret deinceps inferiori alicui in ejusmodi reseruos moliri quicquam, ita ut si quid tale factum fuisset, id totum prorsus invalidum esset & nullum. At verò hoc est claves adimere illis, quibus Christus dedit, & hæc reservatio præsupponit, claves non esse nisi in manibus Papæ & Episcoporum, & ab horum voluntate pendere, quas claves dare velint inferioribus, atque adeò presbyteris concedi clavium usum limitatum, non ad omnia, sed quædam tantum peccata. Quod omninò est contra jus divinum & concessionem Christi Salvatoris.

CAP. XI.

De Potestate excommunicandi.

I.

CLavis ligans in Ecclesiâ multâ cum prudentiâ est adhibenda, ne ex pravo & contaminato affectu usurpetur, & erga innocentes exerceatur. Quanquam enim Ecclesiæ ministri clave ligante non minùs, quàm solvente, utendi potestatem habeant, quia tamen circa usum ligantis certi observandi sunt gradus, diversique inde resultantes effectus, qui in solvente ad eundem modum præscripti non sunt, dubium non est, majore cum curâ atque circumspectione agendum esse, sicubi morosus aliquis peccator ad frugem reduci debeat. Singuli pastores suspendere à Sacramento

cœnæ